

28. Sic & quæ SZEKELICE.
29. *Szekelicum Alphabeticum Viennâ ad me misit Franc. Sakius, Hungarus, Theol. Doct. Quod & anno 1674. d. 18. Febr. Berolini accepi.*
30. *Prisorum Hunnorum sive Hungarorum Alphabeticum* is vocabat.
31. Vidi & idem Alphabetum a. 1677. d. 29. Novembris in albo, quod vocant, Hungari cujusdam.
32. Quô die alii duo Hungari *manib.* mihi *propriis* testabantur, se nuper *Tiguri* ap. *Joh. Müllerum*, Profefs. vidisse *Orationem Dominicam & Symbolum Apostolicum* iisdem omninò descripta literis.
33. Ceterum in Alphabeto, quod albo insertum erat, *Litera*, quæ h. l. numero 12. 13. 14. itemq; 24. 25. 26. 27. 28. leguntur, *ultima* erant.
34. Hæc omnia verò vel ideò refero, quia *Szekelica* scriptura ipsis *Hungaris & Transylvanis* propè omnibus ignota & non visa est. Vid. *Molnar. Gramm. Hung. p. 15. 23.*
35. *Szekeli* autem sunt, quos alii *Sicalos* vocant, & *Ceculos*, ut & *Ciculos*. *Transylvania* populus quondam *Hunnicus*.
36. Loqvatur adhinc *Zamosus*: In *Bibliotheca Florentina* extat volumen valdè *vetustum*, *Siculorum* typis & *mirandis incognitisq;* *Europa* literarum *notis* conscriptum ut jam *desinant* *Europæi* de sua *Calligraphia* gloriari. *Liber* ante *multa secula* *impresus* literis *Scythicis*. Quod & *Paulus Jovius* ab *Oriente* per *Scybas* ad *Europaos* *venisse* jam *pridem* scripsit.
37. *Librum* procul dubio *Sinicum* describit. Cujus *inscriptionem*, ni fallor, habeo.
38. Nolim tamen etiam huc referri *Inscriptionem Pannonicam*, de quâ *Kircherus* ap. *Lambec. Bibliothec. Vienn. T. I. p. 90.* De quâ aliàs.
39. *Reliqua Tabulæ* interprete non egent.

